



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 139. Et proiectis argenteis in templo. v. 5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**O** Iesu, Iesu! quantum malum est videntem videre nolle! certe magnum malum oportet esse peccatum, à quo contemplando sic & conscientia abhorret & nata. Videam ego obsecro mi Deus semper quæ recta sunt ut ea faciam, considerem libenter miseriam meam & peccata mea, instantia & futura, præmia & labores, actiones & finem contemptor operationum mearum & non auertam faciem meam ab illis malo affectu, sed & nisi sint pure ad tui solius gloriam & proximi ædificationem & salutem ea castigem ipse donec emendentur, ne ea propter confundar postea, uti hic Iudas irridetur ab illis ipsis, in quorum gratiam tam enorme scelus perpetravit. quid iam quæso lucrificet?

§. 139. *Et proiectis argenteis in templo. v. 5.*

Cum videret Iudas quod principes Iudæorum & seniores neque se pœnitentem audire, neque confessionem suam de Christi iustitia acceptare vellent, per verba: *peccavi tradens sanguinem iustum*, sed laborarent continuo, ut morti traderetur Christus, se quoque illudi à Sacerdotibus loco præmij & maioris remunerationis, vel solatij indignabundus præ confusione proiecit in templo triginta argenteos, quos à summis Sacerdotibus pro Christi traditione acceperat, & hoc ex odio iniquissimi pretij. Ita enim quæ initio perperam amantur, postea cane peius & angue odiuntur & pecunia tam auidè quæsitæ à proditore ita demum fit ei carnificina. Videant qui aliena vel auare detinent, vel non restitunt, ne etiam ipsis olim in agone fiat carnificina mentitus est sapiens Prouerb. 20. cum dixit: *suavis est homini panis mendacij & postea implebitur os eius calculo.*

**D**omine si quando mecum non agitur pro ut voluero, & confundar ob peccata mea, non desperem, aut indignabundus mihi, aut aliis nocere velim, sed quidquid euenerit tibi solum acceptum feram, si malum, humiliter & sapienter suscipiam, si bonum, gratias tibi referam jugiter.

§. 140. *Recessit. v. 5.*

A Principibus Sacerdotum, tristis, ob repulsans, iratus sibi ipsi, iratus hominibus victus à diabolo instar Cain fugitiuus quærit extra ciuitatem in locis abditis inter dumeta & arbores solatium, ad quod ipsum adegit carnifex conscientia ex una parte, ex altera dæmon sua suasionem, solet enim primo cum perpetrandum est peccatum, id extenuare, post ubi patratum est exaggerare, ut spem veniæ adimat, & secum in barathrum abdu-

cat